

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Initia doctrinae physicae**

**Melanchthon, Philipp**

**Francoforti, 1550**

**VD16 M 3471**

Quomodo siunt transmutationes?

**urn:nbn:de:bsz:31-106565**

tor mouet oculos, in colore non fit repassio. Nec fit in aqua repassio, cum humectat manum. Hec satis sit monere de hoc dicto Aristotelis, quod sciamus non ad omnia agenria transferendum esse, sed ad alterationes coniguorum corporum, quæ possunt inter se contrarijs actionibus certare.

### Quomodo fiunt transmutationes?

Omniium Elementorum transmutatio inter sese fieri potest, ita ut quodlibet Elementum ex quolibet fieri possit, sed facilius transmutatio est in ijs, quæ habent similem qualitatem, quam in alijs, quæ nulla qualitate conueniunt, ut ex Aqua citius fit ær, quam ignis, conueniunt enim ær & aqua humiditate. Vbi uerò ambæ qualitates inter se pugnant, tardior est transmutatio. Ideo inquit Aristoteles: Facilius est unum transmutari quam multa.

Quærit etiam proportionem densitatis & raritatis, Et ex uno pugillo terre fieri inquit decem pugillos aque, centum aeris, mille ignis. Ex hac proportione nonnulli magnitudines Elementorum, & distantiam à Terra ad Lunam ratiocinari conati sunt, ita ut aquam decuplo maiorem terra, Acrem centuplo maiorem Terra, Ignem millecuplo maiorem Terra esse collegerint. Sed hanc ratiocinationem geometrica ratio refutat. Ptolemæus

LIBER III.

enim libro quinto magna compositionis reperit distantiam Terræ à Luna in quadraturis, cum est ex in Eccentrici & in Epicycli perigeo, esse partium 33. ferè talium, qualium est semidiameter terræ una.

Cum igitur Elementaris globus credatur proximè attingere concavam spheram Lune, hæc distantia Lune à terra proximè accidentis, ostendit, totam diametrum globi Elementaris uniuersi, continere sexaginta sex tales partes, in quales terræ diameter diuiditur, uel, quod idem est, diametrum Elementaris globi continere diametrum terreni globi tricies ter.

Habent autem globi inter se proportionem triplicatam suarum diametrorum, Hoc est, numeri diametrorum multiplicati cubice ostendunt globorum proportionem. Quare totus globus ex Elementis constatus, & spheræ Lune inclusus, erit talium partium 35937. qualium globus ex terra & aqua compositus, est una.

Hinc apparet, multo esse minorem illam proportionem Elementorum, quæ ex Aristotelis dicto colligitur, quam ut illud amplissimum spacium, quod continetur intra Lune spheram ad centrum mundi usque, totum impleat. Magis autem ad sentendum erit Ptolemæo, qui rationes adfert huius sue computationis, quam cæteris.

Quid